



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1605

Epist. LXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53700)

A cias. quidquid necesse est, futurum est. Repugnanti, non volenti necessitas est: in volente necessitas non est. Ita dico, qui imperia libens excipit, partem acerbissimam seruitutis effugit, facere quod nolit. Non qui iussus aliquid facit, miser est: sed qui inuitus facit. Itaque sic animum componamus, ut quidquid res exiget, id velimus: & in primis finem nostri sine tristitia cogitemus. ante ad mortem, quam ad vitam, preparandi sumus. Satis instructa vita est: ⁴ sed nos instrumentorum eius auidi sumus. Deesse nobis aliquid videtur, & semper videbitur. Ut satis vixerimus, nec anni nec dies facient, sed animus. Vixi, Lucili carissime, quantum satis erat: mortem plenus exspecto.

EPIST. LXII.

HOMINES aut negotia non obflare Bona menti. Laus Demetrii.

B MENTIVNTUR, qui sibi obflare ad studia liberalia turbam negotiorum videri volunt: simulant occupationes, & augent, & ipsi se occupant. Vaco, mi Lucili, vaco: & ubicumque sum, meus sum. Rebus enim non me trado, ² sed commodo: nec confector perdendi temporis causas: & quocumque constiti loco, ibi cogitationes meas tracto, & aliquid in animo salutare verso. Cum me amicis dedi, non tamen mihi abduco: nec cum illis moror, quibus me tempus aliquod congregavit, aut causa ³ ex officio nata civili, sed cum optimo quoque sum: ad illos, in quocumque loco, in quocumque saeculo fuerint, animum meum mitto. Demetrium, virorum optimum, ⁴ mecum circumfero, & relictis ⁵ conchyliatis, cum illo seminudo loquor, illum admirror. Quid ni admiror? vidi nihil ei deesse. Contemnere omnia aliquis potest: omnia habere nemo potest. Breuissima ad diuitias, per contemptum diuitiarum, via est. Demetrius autem noster sic vivit, non tamquam contempserit omnia, sed tamquam

C aliis ⁶ habenda permiserit.

EPIST. LXIII.

CONSOLATORIA super morte amici, sapiens & perpulchra.

GRAVITER fers decessisse Flaccum, amicum tuum: plus tamen aequo dolere te nolo. Illud, ut non doleas, vix audebo exigere: & esse melius scio. Sed cui ista firmitas animi continget, nisi iam multum supra fortunam elato? Illum quoque ista res vellicabit, sed tantum vellicabit. Nobis autem ignosci potest, prolapsis ad lacrimas: si non nimia decurrerunt, si ipsi illas repressimus. Nec sicci sint oculi amisso amico, nec fluant. lacrimandum est, non plorandum. Duram tibi legem videor ponere: cum poetarum Graecorum maximus, ius flendi dederit ¹ in vnum dumtaxat diem: ² cum dixerit, etiam

D

4. SED NOS INSTRUMENTORVM EIVS.] Scripti, instrumento eius. Vellam, instruendę eius.

EPIST. LXII. 1. Breuicula & hac est, ut priores: nec tamen, cum Mureto, habeo pro laciniis aut fragmentis. Sunt cogitationes & μελετήματα Seneca, qua voluit EPISTOLARVM titulo venire in lucem.

2. SED COMMODO.] Vsum mei, non mancipium, dono.

3. EX OFFICIO NATA CIVILI.] Quod inter cives, de more, usurpatur. ut ire ad Nuptias, ad Togam virilem, ad Funera, ad Salutationes.

4. MECVM CIRCUMFERO.] Pectore gesto.

5. CONCHYLIIATIS.] Qui in lacernis purpureis, aut togis purpuratis.

6. HABENDA PERMISERIT.] Ipse rex, & eorum dominus: sed vsum aliis indulget.

EPIST. LXIII. 1. IN VNVM DVMTAXAT DIEM.] Homerum intelligi certum est, & huc aduocari. Vbi autem hoc ille? ut puto in Iliad. τ. vbi Vlysses Achillem à nimio luctu absterret: atque inter alia dicit,

Αλλὰ χρὴ τὸν μὲν κατὰ δάμνην ὅς κε θάγησι,
Νήλεα θυμὸν ἔχοντα, ἐπὶ ἡματι δακρύσαντα:
Sed sepelire decet defunctum, pectore forti
Constantes, vnamq; diem fletu indulgentes.

2. CVM DIXERIT, ETIAM NIOBEN.] Hoc non indidem, sed ex Iliade vltimã est. in qua Achilles ita Priamo lugenti: